

www.e-rara.ch

... Quaestiones aliquot philologicae

Buxtorf, Johann

Basileae, [1645]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-71225>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

בסעודת דשמיני:

QUÆSTIONES

ALIQUOT PHILOLO-

GICÆ:

Quas

IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE

BASILEENSI,

SUB PRÆSIDIO

Excellentissimi & Clarissimi VIRI,

DN. JOHANNIS BUXTORFII,

S.S.Th. Doct. & Linguae Hebr. Prof.

Præceptoris sui omni honoris cultu
suspiciendi,

Publicè trutinandas proponit

JOHAN. FRIDERICUS HEILBRUNNER

Ulmenfis.

Ad diem 27 Februarii M DC XLV.

horis locoque solitis.

BASILEÆ,

Typis GEORGI DECKERI,

Academiae Typographi.



SERENISSIMO ac CELSIS-
SIMO PRINCIPI & DOMINO

DN. FRIDERICO
MARCHIONI BADENSI
& HACHBERGENSI, LANDGRAVIO in
Sufenberg, Comiti in Sponheim &
Eberstein, Dynastæ in Roetelen,
Badenweiler, Lahr, &
Mahlberg, &c.

Domino suo Clementissimo,

*Hæc studii sui Hebræo-Philolog.
primitias,*

submitte & humiliter
offert

Joh. Fridericus Heilbrunner



D. O. M. S.

Q U Æ S T I O I.

*An literæ Hebraicæ hodiernæ sint veræ &
antiquæ Hebræorum literæ, an verò Assy-
riacæ, ab Esra olim post captivita-
tem Babylonicam loco Hebrai-
carum substitutæ?*

Resp.  Uamplurimi hodiè Doctissimi Viri,
Josephus Scaliger, Casaubonus, Drusius, Bel-
larminus, & alii, in hac sunt sententia, veras
& antiquas Hebræorum literas esse illas, quibus hodiè Sama-
ritani utuntur, quæque adhuc in Siclis quibusdam antiquis
conspiciuntur: eas autem, quas hodiè habemus, Chaldæ-
orum esse literas, quas Esras post captivitatem Babylonicam
Judæis usurpandas tradiderit, ut sic inter Samaritanos & Ju-
dæos (capitali odio semper se invicem prosequentes) esset
distinctio.

Ad hanc sententiam amplectendam permoti sunt, primò
omnium autoritate D. Hieronymi, qui in Præfatione in
libros Regum, primus hanc sententiam, tanquam certam &
indubitam prodidit: deinde etiam, ex inscriptione Siculo-
rum illorum Samaritanorum, in qua urbs Hierosolyma
יהרושלים קדושה Hierosolyma Sancta appellatur. Hoc verò
cùm non à Samaritanis (hi enim templum Hierosolymita-
num non pro Sancto habuerunt) proficisci potuerit; conclu-
dunt, à Judæis necessario hos Siclos cufos, ac proinde his literis

Judæos olim usos fuisse: Tertiò, quòd Judæi ipsi literas hodiernas אשוריות Assyriacas appellant, hoc evidens quoque testimonium esse putarunt, illas non genuinas Hebræorum esse literas.

Nos verò, his omnibus nihil obstantibus, tùm ob auctoritatem & universalem consensum veterum & neotericorum Judæorum: tùm ob rationes alias gravissimas, asserimus, literas Hebraicas hodiernas, veras adhuc & genuinas esse Hebræorum literas, quibus olim lex Mosaica à Deo in tabulis, & à Mose in libris, fuerit consignata.

I I.

An ex literarum numero rectè à Grammaticis puncta vocalia excludantur apud Hebræos?

R. Vulgaris est sententia Grammaticorum, apud Hebræos solas consonantes esse literas: quo verò fundamento, non videmus. Cùm enim eis definitio Literæ conveniat, quòd nempe sit הָאָלֶף הַקָּדוֹן הַיְחָדִישׁ Signum vel nota vocis humane, secundum Hebræos: vel ut Latini, primus & simplicissimus vocis humane sonus: vel minima pars dictionis: aut primum vocis elementum; cur non apud Hebræos quoque jure in literarum numerum referri possint? Quòd enim non ex lineis, sed ex punctis, apud Hebræos constent, nihil ipsorum potestati, & valori adimere vel auferre potest.

III.

An puncta vocalia Hebræorum recens sint Judeorum inventum, post Prophetarum, imò post Christi, atq; adeò etiam Hieronymi tempora, textui Sacro demum addita?

Resp.

Resp. Variè in utramque partem hæc quæstio hodie inter Viros doctissimos ventilatur.

Qui Affirmativam sententiam amplectuntur, duùm ferè sunt generum:

Primum est eorum, qui, ut textus Hebraici puritatem & *adventur* vehementius impugnare possint & enervare, dicunt, Puncta vocalia, Bibliis Hebraicis addita, recens esse Judæorum inventum, quo circa annum Christi circiter quingentesimum, Sacram Scripturam, Christi & Christianorum odio, variè deformarint, depravarint, & corruperint; adeò ut lectio illa, quam hodierni codices Hebræi nobis exhibent, nequaquam ita authentica esse debeat, quin ab illa, ubi vel nos sensum convenientiorem videmus, vel veteres Interpretes, Græci & Latini potissimum, exhibent, alia puncta, aliamque lectionem substituere & sequi nobis liceat. Sic Bellarminus: *Possimus itaque, inquit, si volumus, puncta detrachere, & aliter legere.*

Alterum est eorum, qui circa recentem inventionem punctorum vocalium eandem quidem sententiam tenent, sed cum hac moderatione, quòd illa à Judæis eo planè modo, sine ulla malitiosa Scripturæ corruptione, prout eam antea sine punctis legerant, atque legendam à majoribus per successiorem & traditionem continuam acceperant, addita esse dicant; idque ad lectionem faciliorem efficiendam, & corruptionem omnem evitandâ: ita ut ista lectio, licet recens & nova, quoad punctorum adscriptionem, sincera tamen & genuina sit quoad lectionis substantiam, neque propterea textus Hebraici sinceritas & authenticitas in dubium vocari possit.

Qui Negativam sententiam tuentur, etiam sententiis variant. Sunt enim, qui puncta unâ cum consonantibus, & cum ipsa scriptura, nata putant: Alii Mosi: Alii, & quidem major Hebræorum pars, Esræ Scribæ & Sacerdoti illorum inventionem tribuunt, atque ita textum Veteris Testamenti Hebraicum, secundum hanc quoque partem, Divinæ & Propheticæ Authoritatis esse statuunt.

Magnis & multis argumentis, Historicis, Grammaticis, Theologicis, Authoritatibus etiam gravissimis, utrinque certatur, atque adeò non solum inter diversarum partium asse-

clas, sed & inter partes singulas ipsas, acres de ista quæstione in utramque partem, ab aliis atque aliis, disputationes instituantur, ita ut vix ullo compendio argumenta omnia contrahi & comprehendere possint. Quocirca, cum præsentis disquisitionis termini prolixitatem requisitam excludant, nostram simpliciter examinandam & ventilandam proponimus sententiam, ac dicimus; Licet de certo termino, & puncto temporis, quo puncta inventa sint, nihil dum in præsentia definire velimus & valeamus; negare nos tamen, puncta ista vocalia esse vel Masoretarum, vel aliorum Judæorum recentiorum quorumcunque, inventum: Neq; argumenta illa, quæ pro novitate punctorum, qualiacunque illa demum sint, producuntur, ejus apud nos esse ponderis ac momenti, ut nos in assensum trahere, & ab altera sententia dimovere possint.

I V.

An rectè superstitionis Judaicæ accusentur, aut accusari possint, omnes illi, qui Nomen τετραγµαδον יהוה legunt per אדני Adonai?

Resp. Non putamus ullo pacto superstitionis Judaicæ convinci posse, qui consuetudinem hanc legendi sequuntur.

Primò, quia certissimis argumentis demonstrari potest, puncta illa Nomini tetragrammato subscripta, secundum quæ sonat JEHOVA, esse ipsi aliena, propria autem nominis אדני: quin & hoc sine subscripta, ut sic legatur.

Secundò, quia evidenter quoque demonstrari & evinci potest, lectionem hanc secutos jam olim esse septuaginta Græcos, & alios antiquissimos interpretes, Evangelistas & Apostolos, Sanctos Patres, Græcos & Latinos. Hos omnes quis superstitionis Judaicæ hoc nomine accuset?

Tertiò, quia ne prima quidem hujus rei consuetudo ex superstitione, sed optimo fine & scopo, neque etiam prorsus sine ratione, instituta fuisse videtur.

De his

De his verò qui plura volet, consulat Differtationem D. Præ-
fidis de Nominibus D E I Hebraicis.

V.

*An magis pura & incorrupta sint Biblia
Græca vel Latina, quàm Hebraica; ita
ut hæc ad illa, non verò illa ad hæc,
revocari, exigi, & emendari
debeant?*

Resp. Cùm ingentes inter textum veteris Testamenti
Hebraicum, & Septuaginta Græcorum interpretationem, ut
& veterem Latinam, passim extent discrepantiæ, quæ nullâ
ratione inter se conciliari possunt, ac propterea necessariò se-
quatur, alterutrum istorum codicum esse depravatum, à longo
jam tempore ista orta, mota, & graviter agitata est quæstio:
Cui nam in istis discrepantiis lectioni, seu editioni, sit acceden-
dum? Quænam pro vera & genuina sit habenda, quæque ex
altera sit corrigenda & emendanda?

Qui, ex Concilii Tridentini decreto, vulgatæ versionis Lati-
næ sacramento sunt obligati: quique bellam illam fabellam
de Septuaginta Græcorum Interpretatione, intra septuaginta
dierum spacium, à Septuaginta illis Interpretibus, in Septua-
ginta distinctis cellulis seclusis & sejunctis, tanto cum consen-
su, singulari & miraculosâ planè gubernatione divinâ, factâ, ut
ne in unica quidem voce inter se discreparint, nimîâ creduli-
tate sunt amplexi, illi censent, in his discrepantiis omninò vel
ad veterem versionem Latinam, vel ad Græcam esse recurren-
dum, atque ex his Hebræa volumina corrigenda & emen-
danda.

Cùm verò harum interpretationum ἀποβρύξ & ἀναμαρτυ-
σία prima, inviolata etiam harum interpretationum à suis au-
thoribus ad nostra usque tempora conservatio & propagatio,
nullis firmis, imò ne admodum probabilibus quidem rationi-
bus sit

bus sit ostensa & demonstrata : Econtrà autem de Hebraicæ editionis originaria authentia nulla sit controversia : de Judæorum etiam immensâ, & saltem non superstitiosâ, circa librorum suorum illibata conservatione, diligentia : de miro irem omnium per totum orbem codicum Hebræorum consensu, ut ne in voce quidem unica inter se discrepent : cùm denique longè probabilius sit, Hebræum Sacri Codicis contextum, tanquam opus immediatè divinum, divinâ providentiâ inviolatum conservatum, & ab omni corruptione vindicatum esse : nos his & aliis rationibus moti, statuimus, omnes alias editiones ad Hebraicam, tanquam ad puriorem, esse examinandas & revocandas. Sic sensit olim D. Hieronymus, in hæc verba ad Lucinium scribens : *Ut Veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita Novorum Græci sermonis normam desiderat.* Sic scribit Augustinus lib. 15. de Civitate DEI cap. 13. varietatem annorum inter Septuaginta Græcos & Hebræos non corruptioni Textus Hebræi, sed Græci tribuendam, ac proinde in istiusmodi discrepantiis potius ei lingue credendum, unde est in aliam per interpretes facta translatio.

Malitiosè dicimus Judæos nec potuisse, nec voluisse libros suos unquâ corrumpere. A contingenti & fortuitâ corruptione si planè absolvere illos non possumus, hoc tamen dicimus, si tales mendæ in libros Hebræorum irrepserint, illas vel exigui admodum esse momenti, vel longè, quàm in cæteris, rariores.

Unus locus notatu dignus est Psalmo 22. in voce פֶּלֶא *Foderunt*, &c. pro qua in textum irrepsit פֶּלֶא *sicut leo*, quem verò errorem Masora seu Critica Hebræorum ipsa alicubi detegit & aperit.

V.I.

An Samuel ille, qui magicis Pythoniis artibus Sauli apparuisse dicitur 1. Sam. 28.

*fuerit verus ille Samuel DEI Propheta, jam antè defunctus
& sepultus?*

Varia

Variae sunt de hac questione interpretū Hebræorū sententiæ, quas verò hic referre vel recensere omnes, nihil attinet. Nobis ex omnibus illis maximè arridet sententia Abarbinelis, qui existimat, nequaquam verum hunc fuisse Samuelem; primò quòd Magicarum artium virtutes nullam potestatem habeant in animas hominum piorum, morte defunctorū; וחל'לה שנפש שמואל הנביא הצרורה בצרור החיים את ה' תוכל בעלת אוב להשיבה לעפרותיה ולהסיר אותה ממכונתו וכ'ש ע'י כשוף וכח הטמאדה; Absit ergò, inquit, ut dicamus, Pythonissam potuisse animam Samuelis Prophetae, ligatam in fasciculo viventium cum DEO, reducere in hanc terram, eamque ex habitaculo suo cœlesti evocare, imprimis per incantationes & impuras artes: וגם כי אין ה' זה תח"ת הטמא: Deinde, quòd hac ratione hoc opus fuisset vel resuscitatio mortuorum vel nova creatura productio, quæ non sunt diabolorum, vel Magorum opera, sed DEI Omnipotentis solius.

VII.

Utrum Judeis olim distributio diei in certas horas, horologiorum item & heliotropiorum, quibus dies per lineas & intervalla umbrarum distinguebatur, inventio nota fuerit?

Resp. Josephus Scaliger, in libro 2. de Emendatione temporum pag. 131. scribit, distributionem diei in horas Græcorum esse commentum, & longè post tempora Solonis, in Heliotropiis Græcorum notatum, & sub Romanorum demum imperio, à Romanis ad Judeos translatum. Et lib. 1. pag. 5. posterorum inventum esse Horologia & Heliotropia. At verò, quo minus huic sententiæ adstipulari possimus, obstat nobis locus 2. Regum capite 20. vers. 9. 10. & 11. ubi legimus, ad petitionem Hiskiaë umbram solis in solario Achasi decem gradibus recessisse. Magno enim consensu, Hebræi omnes, locum illum, de Heliotropio, & gradus illos, quorum ibi mentio, de Horis diei, exponunt;

imò ne in mentem quidem ulli Hebræorum venit, nullas veteribus in usu horas fuisse. Quamvis enim vocabulum שעות *Hora* in Veteri Testamento (excepto Daniele) nullibi occurrat, non tamen sequitur, illud planè ignotum ipsis fuisse. Jonathan Paraphrastes Chaldæus, expressè hîc habet שעות *In figura lapidis horarum*, & pro מדרגות *Gradibus*, substituit שעות *Horas*. Sic vetus Interpres Latinus; *Et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in Horologio Ahas*. Hinc existimant nonnulli interpretes, Ahasum primum Horologiorum & Heliotropiorum inventorem fuisse.

VIII.

Quid sentiendum sit de lingua Græca Novi Testamenti?

Resp. Multa hodiè disputantur & differuntur, quid de stylo Evangelistarum & Apostolorum sit sentiendû. Sunt nonnulli, qui illum purè Græcum, neque ullis Hebraïsmis permixtum esse contendunt. Econtrà sunt alii, qui totum in vocibus & phrasibus Hebraïsmum sapere, & Hebraicam potius, quàm Græcam indolem referre, arbitrantur. Atque hinc etiam peculiare isti linguæ nomen, Hellenisticæ videlicet, imposuerunt, quam talem esse volunt linguam, quâ scriptores, quibus Hebræa lingua erat vernacula, ita mentem suam Græcâ linguâ expresserint, ut non tam ejus linguæ quâ scribebant, quàm illius, quam in mente habebant, vernaculæ videlicet, rationem habuerint; veluti, si quis Germanus, Latinè scribens, stylum suum, seu studio, seu aliquâ imperitiâ, ad Germanicam linguam conformaret.

Nos verò mediam viam hîc tenendam, & sobriè hac de re sentiendum & judicandum esse, arbitramur. Sic ergo hac de re statuimus.

Primò, eorum sententiam, qui in libris N. Test. nullos Hebraïsmos agnoscunt, planè nos approbare nō posse, cū multis exemplis manifestissimis refutari possit. Ac licet phrascs illæ, quæ

quæ pro Hebraïsmis habentur, apud Græcos quoque authores, vel illarum similes reperiantur, hinc tamen non negandum putamus, illas phrasas Hebraïsmos nominandos: Primò quia in his idiotismis attendendum, cujus linguæ primò ac propriè loquendi certi modi existant. Secundò, etiam hoc observandum, quónam scriptores isti respexerint, & Græcosne an Hebræos, in istis imitari & exprimere voluerint. Nimis autè multis locis demonstrari & probari potest, illos vel ad multa loca Ver. Test. vel ad multas veteres Judæorum traditiones certis quasi verbis conceptas, & alia similia, respexisse. Uno exemplo sufficiet nobis rem illustrasse. Quando Evangelistæ dicunt, Christum resurrexisse *πρώτη σαββάτω* Marc. 16. v. 9. & mulieres ad monumentum Christi venisse *πρὸς τῆς μίας σαββάτων*; duplicem hîc agnoscimus Hebraïsmum: 1. In voce *μίας* Una pro Prima; deinde in phrasi integra, *In una vel prima* (sc. die) *Sabbathi*. *Sabbathi* enim vox hîc non (ut interpretes vulgò volût) pro *Septimana*, sed propriè ex consuetudine Judæorum usurpatur, & rectè à veteri Interprete Latino semel atque iterum redditur, *In primâ Sabbathi*. Solebant namque olim Judæi dies à Sabbatho numerare, & dicere *Prima, Secunda, Tertia, &c. Sabbathi*, non, *Septimana*.

Traditio hac de re legitur in libro Mechilta fol. 26. col. 2. לֹא תִהְיֶה מוֹנֶה כְּדֶרֶךְ שֶׁאֲחֵרִים מוֹנִין אֶלָּא תִהְיֶה מוֹנֶה לְשֵׁם שַׁבָּת; Ne esto numerans (dies Septimanæ) sicut alii (gentiles sc.) numerant, sed numera eos à nomine Sabbathi. Hoc Rabbi Moses ben Nachman in Commentario in Legem fol. 60. col. 3. ita explicat: *Gentiles numerant dies septimanæ nomine dierum ipsorum* (unicuique diei peculiare nomen assignantes:) *Nam peculiari nomine vocitant unumquemque diem, vel secundum nomina Planetarum vel nominibus aliis. Israëlita autem numerant omnes dies à nomine Sabbathi; Dies prima Sabbathi, &c. Ita enim iussu sumus* (in præcepto scil. quarto) *quotidiè ejus recordari. Sic Abarbinel in sectione Jetro, fol. 175. col. 3. ad præceptum quartum Decalogi scribit: Comprehenditur hîc etiam, ne nominentur dies septimanæ nominibus septem Planetarum, aut aliis; sed ut semper dicamus; In primâ Sabbathi, in secundâ Sabbathi, & sic consequenter.*

Secundò dicimus, varios omninò in Novo Testamento in vocibus & phrasibus Hebraismos occurrere.

An autem alio nomine lingua Græca Novi Testamenti appellari debeat? An etiam Hellenistica rectè vocetur? Nescimus, neque sufficientes adhuc ejus rei rationes videmus.

I X.

An ex Historia, quæ habetur in libro Judicum cap. 11. colligi possit, Jephthem filiam suam unicam DEO verè ac realiter per Ἀθροποθύσιαν in holocaustum immolâsse?

Resp. Sunt tam ex Hebræis, quàm ex Christianis Interpretibus, qui in hanc propendent sententiam, quasi Jephthe ex voto vers. 30. & 31. factio; Si tradendo tradideris filios Ammon in manum meam; Egre diens, quod egressum fuerit è foribus domus meæ in occursum meum, quum revertar in pace à filiis Ammon, erit DOMINO, & offeram illud in holocaustum; verè ac realiter filiam suam, quæ primò ipsi occurrebat, in holocaustum immolaverit, quia vers. 39. dicitur; וַיַּעַשׂ לָהּ אֵת נָדְרוֹ אֲשֶׁר נָדָה Et fecit de ea votum quod voverat; & ex aliis quibusdam ejus historiæ circumstantiis. In hac sententia fuisse videtur ex Hebræis Jonathan Paraphrastes Chaldæus, in cujus paraphrasi hoc loco sequens legitur additamentum, extra textum Hebræum; Fuit decretum in Israël, לֹא יִלָּקֵחַ אִישׁ אֶת בְּרִיתוֹ וְיֵת בְּרִיתוֹ לְעֵלְמָה כְּמַא דְּעִבְרִי יִפְתָּח בְּלָעֲדָא; ne quisquam in posterum offerret filium aut filiam suam in holocaustum, quemadmodum fecit Jiphthach Gileadita, in consilio Pinease Sacerdote: quod si enim illum consulisset, redimere potuisset eam pretio. Sed hoc additamentum non videtur esse genuinum, verum primò ad marginem à quopiam adscriptum, & postea in textum Chaldæum relatum. Hanc sententiam etiam multis defendit & propugnat R. Aharon Aben Chajim, in suo ad hunc locum Commentario.

Alii è contrà sunt , inter quos R. D. Kimchi, Abarbenel, R. Levi ben Gerson, & alii, qui existimant, non immolatam, sed Deo cōsecratam, & in perpetuum quasi Nasiræatum & secessum traditam, innuptam mansisse, ne alterius, quàm Domini, esse videretur. Hinc v. 38. non vitam amittendam, sed virginitatem conservandam, deflevit. Virginitas enim olim probrosa erat. Et vers. ultimo legitur, filias Israel quotannis ivisse ad confabulandum cum ea, atque hoc pacto eam ob vitam solitariam fuisse solatas.

Et hanc sententiam nos quoque longè magis probabilem ac veritati consentaneam, censemus.

X.

An Psalmo 99. v. 5. verba **השתחו ליהוה** benè versa sint à vulgato interprete; *Adorate scabellum pedum ejus*?

Resp. Minus rectè hunc locum à veteri Interprete sic redditum existimamus, eò quod hæc versio *Scabellum pedum* pro Objecto adorationis ponat, contra sensum & mentem Psalmodographi. Præpositio enim **ל**, ante nomen **יהוה** hic non frustra & otiose est posita; sed ad denotandum Locum, aut Rem versus quam adoratio fieri debet; Objectum non adorationis religiosæ, sed corporis adorantis. Et manifestum est ex collatione scripturarum, Verbum **השתחו** cum **ל** constructum, non uno modo sumi, sed aliquando denotare Locum in quo adoratur; Psal. hoc 99. v. ultim. **השתחו להר קדשו** *Incurvate vos ad montem*, h. e. in monte *Sanctitatis ejus*. Sic ponitur manifestè **ל** pro **ב**, Psal. 16. v. 10. **כי לא תעזוב נפשי לשאול** *Non derelinques animam meam ad sepulchrum*, hoc est, in sepulchro. Sic Psalm. 132. vers. 7. **נשתחו להדום רגליו** vulgatus interpres ipse transfert; *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*; non, *Locum*: vel Locum aut rem versus quam, ut hoc loco; Sic præpositio inseparabilis ponitur pro separabili **אל** *Ad*, ex qua etiam

originem suam trahit. Itaque quod hic dicitur וְהָיָה כִּי יִבְנוּ לַיהוָה בֵּית מִקְדָּשׁ idem erit cum eo quod legitur Psal. 138. v. 2. אֲשֶׁר-יִבְנוּ לַיהוָה : וְהָיָה כִּי יִבְנוּ לַיהוָה בֵּית מִקְדָּשׁ Incurvabo me ad templum Sanctitatis tuae: Aliquando etiam significat Illud ipsum quod adoratur, quomodo sumitur, quando cum Nomine Dei conjungitur, & ad Deum refertur. Itaque cum phrasis sit ambigua, nullum firmum hinc pro Objecto adorando argumentum extrui potest.

XI.

An Judæi à Magistratu Christiano in Republicâ tolerari possint?

Resp. Gravia sunt in utramque partem argumenta, quæ verò hic recensere, ac speciatim examinare, nobis non est integrum. Existimamus tamen, si Affirmativa sententia certis ac necessariis conditionibus limitetur, illam non omnino contemnendam & rejiciendam esse. Nam, cum studium in conversione infidelium ad fidem Christi non postremum charitatis Christianæ sit opus, & Judæorum conversionis non nulla omnino in sacris literis videantur extare indicia, præstare sanè videtur, ut tales, sub Christianis vivere permittantur, quàm ut ad Turcas & alios infideles relegentur. Subinde enim, si ritè cum ipsis agatur, aliqui ex illis Christo lucrifieri & è Gehennæ faucibus eripi possunt. At verò omnibus modis cavendum, ne talis ipsis licentia concedatur, quâ vel ipsi in sua superstitione & cœcitate magis confirmantur, vel religio Christianorum, nimia indulgentiâ, probro coram ipsis exponatur. Imprimis autem non sunt tolerandæ horrendæ in Christum & Christianos blasphemix, sed severissimè prohibendæ, & puniendæ, si vel vivâ voce, vel scriptis publicis illas evomere & disseminare deprehendantur. Unde inexcusabilis est Magistratuum quorundam Christianorû indulgentia & somnolentia, quâ Judæis in sua Republica, non solum Typographias concedunt, sed & quidvis pro lubitu, sine ullâ adhibitâ censurâ, imprimere permittunt. Hac enim ratione Christiana religio mirificè coram Judæis ludibrio exponitur, quando videt,

dent, ipsius Magistratus Christiani permisso, sibi licere pro lū-
bitu eam traducere & omnis generis blasphemii & convitiis
proscindere. Quin potius inter alia eò etiam adigi deberent,
ut & Christianorum libros legerent, & conciones sacras audi-
rent. Cùm enim, si tolerentur, ob spem conversionis præci-
puè tolerandi sint, opera danda est, ut & impedimenta ac
obstacula quævis removeantur, & media conve-
nientia adhibeantur. Ut alias cautelas,
ad rem hanc necessarias, nunc
prætermittam.

Τῷ μόνῳ Θεῷ δόξα.

Ad Præstantissimum & Literatissimum

D N. RESPONDENTEM.

I.

הָיָה נָא שְׂתִים טוֹבוֹת
עֲשֵׂה הִי' לְכַוֵּן גַּם נִכְדָּוֹת :
עֹב באֲרוֹת הַנְּשָׁבִים
מִשִּׁט חַלּוֹן נִעְבְּרִים :
מִמְקוֹר הַסְּפָרִים הָעִבְרִים
בְּרִים שָׂאֵב מִים חַיִּים :
אֶת מִי הַחֲכָמָה וְדַעַה
עַל זֹאת הוּא מַעֲנֵן הַיְשׁוּעָה :

In amicitia τετραπλειον apposuit

JOH. CASPARUS STOCKERUS,
Scaphus S. S. Th. Stud.

II.

Quos Heilbrunnerus Jacobus, quosq; Philippus
Fratres in gradibus (Doctor uterq;) pares.

Partu-

Parturiere olim libros gravitate valentes,
 Te novisse reor postera docta cohors.
 Ille Ratisbone, Papias fraude notatos
 hæreticosq; plicas Ense DEI repulit.
 Hinc sua rasorum megas ferientia scripta,
 quæ pius Antistes vicit, in orbe nitent.
 Colloquium Calamo, ac animo sic enucleatum,
 perpetue laudis signa decenter habent.
 Hic non arte minor stravit molimine magno,
 Ore, Suitarum dogmata falsa, DEI.
 Scripta serena quidem fratris turbare colendi
 Rana laborabit, flumina pura, loquax.
 Sed post colloquio mirè pudefacta tacebat
 vindice; non oculo cœcutiente videns.
 Gloria Babelici sic scorti transit inanis,
 gloria vera gregis durat Evangelica;
 Tu quoque Majorum gaudes virtute tuorum,
 Qui horum sortitus nomen, & omen amas.
 Stirpe pereximiâ, Respondens lumine docte
 Donorum Splendens, Indole teste tuâ.
 Quam magis inflammant venerandi facta parentis
 amula, quæque piâ dexteritate scatent.
 Volvis Aristotelem physicis de rebus agentem,
 Cujus perpulchrè philosopharis ope.
 Nunc Cathedram scandis linguæ, trutinando medullam
 Hebrææ, penitus Biblia quæ penetrat.
 Macle juventutis, Genii conamine docti
 Heilbrunnerus eris, nomine réque simul.
 Esai. 12. v. 3. Fontibus hausturus tunc limpidioribus alma
 latifico putas Corde salutis aquas.
 Pressurus Bonini Vestigia clara Parentis,
 Doctrinæq; tuæ succus ut unda fluat.

Gratulabundus apposuit

Georgius Ludovicus Drexelius,
 S. S. Theol. Stud.

F I N I S.